



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ad sextam. Exercit. 87.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



*Oblatio.*

**E**Adem est que in exercitio ad Matutinas.

## AD SEXTAM.

Exercit. 87.

*Ioann. 29. Tunc tradidit Pilatus Iudæis Iesum vt crucifigeretur. Susceperunt autem eum & eduxerunt. Et baiulans sibi Crucem exiit in eum qui dicitur Caluaria locum vbi crucifixerunt eum, & alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.*

*Consideratio.*

**C**ONsiderabimus, quomodo cum Pilatus omnia ad Iudæos placandos attentasset, timeretque ne quod Iudæi ipsi comminati fuerant, Cæsaris indignationem incurreret, lotis manibus coram populo sententiam in Christum tulerit vt Crucis suffigeretur; & quomodo hac sententia accepta eum foris grauissima Cruce oneratū, ad Caluarie montem eduxerint, ibique mediam



dium inter duos latrones crucifixe-  
rint.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias agemus Deo, pro acerbis  
hisce suppliciis quæ nostri caus-  
sa passus est: Et pro beneficio, quod  
nos Christianos, & Ecclesię suę mem-  
bra esse voluerit, in qua per Sacra-  
menta & bona opera, meritorum  
passionis ipsius participes effici-  
mur.

*Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, consideran-  
do quod peccata nostra Chri-  
stum cruci affixerint, quodque cum  
simus Christiani, aliquando non  
aliter ac Turcæ vixerimus, eorum  
quæ fides Christiana nos docet, &  
quę in Baptismo promisimus, pror-  
sus immemores.

*Petitio.*

**P**Recabimur Deum, pro castitate  
perfectissima, qua carnem nostrã  
cum omnibus concupiscentiis eius  
crucifigamus, vt cum Apostolo di-  
cere possimus nos Christo Crucifig-  
fixos esse.

*Obla-*



*Oblatio.*

**E**Adem est quæ in exercitio ad matutinas.

## AD NONAM.

Exercit. 88.

**A**Sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad Nonam. Et circa horam Nonam clamauit Iesus voce magna dicens. Heli Heli Lamazabathani, hoc est: Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me.

**LUC. 23.** Et clamans iterum voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & dixit consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus mysteria quæ in cruce gesta sunt & ea quæ Christus in illa dixit & passus est, vsque ad spiritus sui emissionem.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias agemus Deo pro acerbissima morte quam nostri causa subiuit: & pro insigni illo beneficio, quod